



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Cap. I. Partitio traditivæ; in doctrinam de organo sermonis, doctrinam de methodo sermonis, & doctrinam de illustratione sermonis. Partitio doctrinæ de organo sermonis, in doctrinam de notis rerum, ...

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

rix commodanda, in negotiis & rebus seriis. Nos vero hoc habemus, (fortasse ex genere vitæ nostræ Politicæ) ut, quæ artem jactant, usum non præbent, parvi faciamus. Nam ingenium numerum nominum, aut verborum semel recitatorum, eodem ordine statim repetere, aut versus complures de quovis argumento ex tempore conficere, aut quicquid occurrit, Satyrica aliqua similitudine perstringere, aut seria quæque in jocum vertere, aut contradictione & cavillatione quidvis eludere, & similia, (quorum in facultatibus animi haud exigua est copia, quæque ingenio, & exercitatione ad miraculum usque extolli possunt;) hæc certe omnia & his similia nos non majoris facimus, quam funambulorum, & mimorum agilitates, & ludicra. Etenim eadem ferme res sunt: cum hæc corporis, illa animi viribus abutantur; & admirationis forsitan aliquid habeant, dignitatis parum.

*Ars autem Memoria duplici nititur intentione; Prænotione, & Emblemate. Prænotionem vocamus abscissionem quandam investigationis infinitæ. Cum enim quis aliquid revocare in memoriam conatur; si nullam prænotionem habeat, aut perceptionem ejus quod quærit; quærit certe, & molitur, & hac illac discutit, tanquam in Infinito. Quod si certam aliquam prænotionem habeat, statim absconditur Infinitum, & fit discursus memoriæ magis in vicino; Ut venatio damæ, intra septa. Itaque & ordo manifesto juvat Memoriam. Subest enim Prænotio, id, quod quæritur, tale esse debere,*

ut conveniat cum ordine. Similiter carmina facilius discuntur memoriter, quam prosa. Si enim hæretur in aliquo verbo, subest Prænotio; tale debere esse verbum, quod conveniat cum versu. Atque ita Prænotio est Artificialis Memoria pars prima. Nam in Artificiali Memoria Locos habemus jam ante digestos, & paratos: Imagines ex tempore, prout res postular, conficimus. At subest Prænotio, talem esse debere Imaginem, qualis aliquatenus conveniat cum Loco. Id quod vellicat Memoriam, & aliquo modo munit ad rem, quam quærimus. Emblemata vero deducit intellectualem ad sensibile: Sensibile autem semper fortius percutit Memoriam, atque in ea facilius imprimitur, quam intellectualem. Adeo ut etiam Brutorum memoria per sensibile excitetur; per intellectualem, minime. Itaque facilius retineas imaginem venatoris leporem persequentis, aut pharmacopœi pyxides ordinantis, aut pueri versus memoriter recitantis, aut mimi in scena agentis; quam ipsas notiones Inventionis, Dispositionis, Elocutionis, Memoriae, Actionis. Sunt & alia, quæ pertinent ad Memoriam juvandam (ut modo diximus;) sed Ars, quæ jam habetur, ex his duobus jam præmissis consistit. Particulares autem artium defectus persequi, fuerit ab instituto nostro recedere. Igitur de Arteretinendis, sive Custodiis, hæc dicta sint. Jam vero ad quartum membrum Logicæ, quod Traditionem & Elocutionem tractat, ordine pervenimus.

## FRANCISCI BACONIS DE VERULAMIO, Vice-Comitis sancti Albani, De Dignitate & Augmentis Scientiarum, LIBER SEXTUS.

Ad Regem suum.

### CAP. I.

*Partitio Traditivæ, in Doctrinam de Organo Sermonis: Doctrinam de Methodo Sermonis; & Doctrinam de Illustratione Sermonis. Partitio Doctrinæ de Organo Sermonis, in Doctrinam de Notis Rerum: De Locutione: & De Descriptione. Quarum dua posteriores Grammaticam constituunt, ejusque Partitiones sunt: Partitio Doctrinæ de Notis Rerum, in Hieroglyphicam, & Characteres Reales. Partitio secunda Grammaticæ, in Literariam, & Philosophantem. Aggregatio Poëticæ, quoad Metrum, ad Doctrinam de Locutione. Aggregatio Doctrinæ de Ciphris, ad Doctrinam de Descriptione.*

**C**onceditur certe cuivis (Rex optime) Se ipsum, & Suaridere, & ludere. Quis igitur novit, num forte opus istud nostrum, non descriptum fuerit ex libro quodam veteri, reperto inter libros famosissimæ illius Bibliothecæ, sancti Victoris; quorum Catalogum excepit Magister Franciscus Rabelesius? Illic enim invenitur liber, cui Titulus est, Formicarum artium. Nos sane pusillum acervum pulvisculi congestimus, & sub eo complura Scientiarum, & Artium grana condidimus, quo formicæ reptare possint, & paulatim conquiescere

& subinde ad novos se labores accingere. At Regum sapientissimus pigros quoscunque remittit ad formicas: Nos autem pigros eos homines pronunciamus, quibus acquisitis uti tantum, cordi sit, neque subinde novas Scientiarum Sementes, & Melles facere.

Accedamus nunc ad *Artem Tradendi*, sive *Proferendi & Enunciandi* ea, quæ Inventæ, Judicata, ac in Memoria reposita sunt; quam nomine generali *Traditivam* appellabimus. Ea omnes artes circa verba & sermones complectitur. Quamvis enim ratio sermonis veluti anima sit, tamen in tractando disjungi debent ratio, & sermo; non minus, quam anima, & corpus. *Traditivam* in tres partes dividemus, *Doctrinam circa Organum Sermonis*; *Doctrinam circa Methodum Sermonis*; & *Doctrinam circa Sermonis Illustrationem*, sive *Ornatum*.

*Doctrina de Organo Sermonis* vulgo recepta, quæ & *Grammatica* dicitur, duplex est: Altera de *Locutione*, Altera de *Descriptione*. Recte enim Aristoteles, *Cogitationum Tessera verba, Verborum litteræ*. Utrumque *Grammatica* assignabimus. Ve-

rum ut rem altius repetamus, antequam ad *Grammaticam*, & partes ejus jam dictas veniamus, in genere de *Organo Traditive* dicendum est. Videntur enim esse proles quædam *Traditive* aliæ, præter *Verba & Literas*. Hoc igitur plane itatendum est: Quicquid scindi possit in differentias satis numerosas, ad notionum varietatem explicandam, (modo differentiarum illarum sensus perceptibiles sint) fieri posse vehiculum cogitationum de homine in hominem. Nam videmus, Nationes *Linguis* dissepantes Commercium non male per *Gestus* exercere. At in *Practica* nonnullorum, qui surdi & muti usque à Nativitate fuerant, & alias erant ingeniosi, mitos vidimus haberi inter eos, & amicos suos, qui eorum *gestus* perdidicerant, Dialogos. Quinetiam notissimum fieri jam cœpit, quod in China, & Provinciis ultimi Orientis, in usu hodie sint *Characteres* quidam *Reales*, non *Nominales*, qui scilicet nec literas, nec verba, sed res & notiones expriment. Adeo ut gentes complures, linguis profus dissepantes, sed hujusmodi *Characteribus* (qui apud illos latius recepti sunt) consentientes, scriptis communicent: Eo usque, ut librum aliquem hujusmodi *Characteribus* conscriptum, quæque *Gens*, patria lingua legere, & reddere possit.

*Nota* igitur *Rerum*, quæ absque ope, aut medio *Verborum*, Res significant, duplicis generis sunt: Quantum prius genus ex congruo; Alterum ad placitum significat. Prioris generis sunt, *Hieroglyphica & Gestus*: Posterioris vero ij, quos diximus, *Characteres Reales*. *Hieroglyphicorum* usus vetustus admodum, & in veneratione quadam habitus: Præcipue apud *Ægyptios* Gentem valde antiquam: Adeo ut videantur *Hieroglyphica* fuisse *Scriptio* quædam ante nata, & seniori scriptis *Elementis Literarum*, nisi forte apud *Hebræos*. *Gestus* autem, tanquam *Hieroglyphica* transitoria sunt. Quemadmodum enim verba prolata volant, scripta manent; ita & *Hieroglyphica*, *Gestibus* expressa, transeunt, depicta durant. Cum enim *Periander*, consultus de conservanda Tyrannide, Legatum astare juberet; atque ipse in horto deambulans, summitates florum eminentiorum carperet, ac eandem *Procerum* innuens; non minus usus est *Hieroglyphico*, quam si id in charta depinxisset. Illud interim patet, *Hieroglyphica & Gestus*, semper cum re significata aliquid similitudinis habere, & Emblemata quædam esse; unde eas *Notas Rerum ex congruo* nominavimus. At *Characteres reales* nihil habent ex Emblemate, sed plane surdi sunt, non minus, quam ipsa elementa literarum, & ad placitum tantum effecti, consuetudine autem, tanquam pacto tacito, recepti. Illud interim liquet, vastam ipsorum multitudinem ad scribendum opus esse: tot enim esse debent, quot sunt vocabula radicalia. Hæc igitur portio *Doctrina de Organo Sermonis*, quæ est de *Notis Rerum*, nobis ponitur pro *Desiderato*. Etsi autem tenuis possit videri esse ejus usus, cum verba & scriptio per literas sint *Organa Traditive* longè commodissima; visum est tamen nobis, veluti rei non ignobilis, aliquam hoc loco mentionem ejus facere. Tractamus enim hic, veluti numismata rerum intellectualium; Nec abs re fuerit nosse, quod, sicut nummi possint confici ex alia materia præter aurum & argentum, ita &

*Nota Rerum* aliæ possint cudi, præter *Verba & Literas*.

Pergamus igitur ad *Grammaticam*. Ea vero, veluti viatoris locum erga cæteras scientias obtinet, non nobilem illum quidem, sed imprimis tamen necessarium, præsertim cum scientiæ, nostris sæculis, ex linguis eruditis, non vernaculis, potissimum hauriantur. Neque tamen dignitas ejus parva censenda est, quandoquidem antidoti cujusdam vicibus fungatur contra maledictionem illam confusionis linguarum. Sane hoc agit industria humana, ut se restituat, & redintegret in benedictionibus illis, quibus culpa sua excidit. Atque contra maledictionem primam generalem de sterilitate terræ, Comedendo panem suum in sudore vultus sui, reliquis artibus omnibus se munit, & instruit. At contra secundam illam de confusione linguarum, advocat in auxilium *Grammaticam*: Ejus, in linguis quibusque vernaculis, exiguus certe usus est: In externis perdiscendis, latior: Amplissimus vero in illis linguis, quæ vulgares esse desierunt, & in libris tantum perpetuantur.

*Grammaticam* etiam bipartitam ponemus, ut alia sit *literaria*, alia *philosophica*. Altera adhibetur simpliciter ad linguas, nempe ut eas quis, aut celerius perdiscat, aut emendatius, & purius loquatur: Altera vero aliquatenus *Philosophiæ* ministrat: Quam in parte occurrit nobis, *Cæsarem* libros de *Analogia* conscripisse; atque dubitatio subiit, utrum illi hanc, quam dicimus, *Grammaticam Philosophicam* tractarit? Suspiciamur tamen, nil admodum in illis fuisse subtilius, aut sublimius, sed tantum præceptiones tradidisse de oratione casta, & integra, neque à consuetudine loquendi prava, neque ab affectatione aliquorum vitiosa, & polluta, in quo genere ipse excelluit. Veruntamen hac ipsa re moniti, cogitatione complexi sumus *Grammaticam* quandam, quæ non analogiam verborum ad invicem, sed analogiam inter verba, & res, sive rationem, sedulo inquirat: citra tamen eam, quæ *Logicæ* subservit, *Hermeniam*. Vestigia certe rationis verba sunt: Itaque vestigia etiam aliquid de corpore indicant. Hujus igitur rei adumbrationem quandam tenuem dabimus. Primo autem minime probamus curiosam illam inquisitionem, quam tamen *Plato* Vir eximius non contempsit, nimirum de impositione, & Originali Etymologia nominum, supponendo, ac si illa jam à principio ad placitum indita minime fuissent, sed ratione quadam, & significanter derivata & deducta Materiam certe elegantem, & quasi ceream: quæ apte fingi & flexi possit; quoniam vero antiquitatum penetralia perscrutari videtur, etiam quodammodo venerabile sed nihilominus parca veram, & fructu castam. Illa demum, ut arbitramur, foret nobilissima *Grammatica* species, si quis in linguis plurimis, tam eruditis, quam vulgaribus, eximie doctus, de variis linguarum proprietatibus tractaret; in quibus quæque excellat, in quibus deficiat, ostendens. Ita enim & lingua mutuo commercio locupletari possint, & fiet exiis, quæ in singulis *Linguis* pulchra sunt, (tanquam *Venus Apellis*) Orationis ipsius quædam formosissima imago, & exemplar quoddam in signe, ad sensus animi rite exprimendos. Atque una etiam hoc pacto capiuntur signa haud le-

via, sed observatu digna, ( quod fortasse quipiam non putaret ) de ingeniis & moribus populorum, & nationum, ex linguis ipsorum. Equidem libenter audio Ciceronem, notantem, quod apud Græcos desit, verbum, quod latinum illud (*Ineptum*) reddat. *Propterea* (inquit) quod Græcis hoc vitium tam familiare fuit, ut illud in se ne agnoscerent quidem: Digna certe gravitate Romanâ Censura. Quid illud, quod Græci in compositionibus verborum tanta licentia usi sunt, Romani contra magnam in hac re severitatem adhibuerunt? Plane colligat quis, Græcos fuisse artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Artium enim distinctiones, verborum compositionem fere exigunt: At res & negotia, si simpliciora verba postulant. Quin Hebræi tantum compositiones illas refugiunt, ut malint Metaphora abuti, quam compositionem introducere: Quinetiam verbis tam paucis & minime commixtis utuntur, ut plane ex lingua ipsa quis perspiciat, Gentem fuisse illam Nazaræam, & à reliquis gentibus separatam. Annon & illud observatione dignum, ( licet nobis modernis Spiritus non nihil retundat ) antiquas linguas plenas declinationum, casuum, conjugationum, temporum, & similibus fuisse: modernas, his fere destitutas, plurima per præpositiones, & verba auxiliaria segniter expedire. Sane facile quis conjiciat, ( utcunque nobis ipsi placeamus ) ingenia priorum seculorum nostris fuisse multo acutiora, & subtiliora. Innumera sunt ejusmodi, quæ jultum volumen complere possunt. Non abs re igitur fuerit; *Grammaticam Philosophantem à Simplicis, & Literaria distinguere, & desideratam ponere.*

Ad *Grammaticam* etiam pertinere judicamus omnia illa, quæ verbis quoquo modo accidunt, qualia sunt *sonus, mensura, accentus*. At prima illa literarum simplicium cunabula ( nempe qua percussione linguæ, qua apertura oris, qua adductione labiorum, quo nisu gutturis, singularum litterarum sonus generetur ) ad *Grammaticam* non pertinent, sed portio sunt *doctrinae de sonis, sub sensu & sensibili tractanda, Sonus*, de quo loquimur, *Grammaticus*, ad *Euphoniæ* tantum pertinet, & *Dysphoniæ*. Illarum quædam communes sunt: Nulla enim est *Lingua*, quin vocalium concurrentium hiatus, aut consonantium concurrentium asperitates aliquatenus refugiat. Sunt & aliæ respectivæ, quæ scilicet diversorum populorum auribus gratæ, aut ingrattæ accedunt. *Græca Lingua* Diphthongis scætet: *Latina* longe parcius. *Lingua Hispanica* literas Tenues odit, easque statim vertit in medias. *Lingua* quæ ex *Gothis* fluxere, aspiratis gaudent; Multa sunt ejusmodi. Verum hæc ipsa fortasse plus satis.

At *Mensura verborum* ingens nobis corpus artis peperit, *Pœsim* scilicet, non quatenus ad materiam, de qua supra, sed quatenus ad stylum & figuram verborum, Versus nimirum, sive Carmina. Circa quæ ars habetur quasi pusilla, exempla accedunt grandia, & infinita. Neque tamen ars illa ( quam *Prosodiam Grammaticam* appellant ) ad carminum genera, & mensuras edocendas tantum restringi debet: Adjicienda

enim sunt præcepta, quod carminum genus, cuique materiæ, sive subjecto, optime conveniat. Antiqui heroica carmina historiis, & encomiis applicaverunt: Elegos quærimoniis, jambos invektivis, lyricos odis, & hymnis. Neque hæc prudentia recentioribus Pœtis in *Linguis propriis* defuit; illud reprehendendum, quod quidam Antiquitatis nimium studiosi, *Linguas Modernas*, ad mensuras antiquas ( Heroicas, Elegiacas, Sapphicas, &c. ) traducere conati sunt, quas ipsarum *Linguarum* fabrica respuit, nec minus aures exhorrent. In hujusmodi rebus, sensus judicium, artis præceptis præponendum, ut ait ille.

— *Cæne fercula nostra*

*Mallem convivis quam placuisse Cocis.*

Neque vero ars est, sed artis abusus, cum illa naturam non perficiat, sed pervertat. Verum quod ad *Pœsim* attinet: sive de *Fabulis*, sive de *Metro* loquamur, est illa, ut superius diximus, tanquam herba luxurians, sine semine nata, ex vigore ipsius terræ germinans. Quare ubique serpit, & latissime diffusa est, ut supervacuum foret de defectibus ejus sollicitum esse. De illa igitur cura est abjicienda. Quod vero ad *accentus verborum*, nil opus est de re tam pusilla dicere: nisi forte illud quis notatu dignum putet, quod *Accentus Verborum* exquisitè, *Accentus autem Sententiarum* neutiquam in observationem veniat. At tamen illud fere universo generi humano commune est, ut vocem in fine periodi submittant, in interrogatione elevent, & alia hujusmodi non pauca. Atque de *Grammatica* parte, quæ ad *Locutionem* spectat, hæc tenus.

Quod ad *Scripturam* attinet, ea aut *Alphabeto vulgari* perficitur, ( quod ubique recipitur, ) aut *oculto & privato*, de quo inter singulos convenit, quod *Ciphra* vocant. At *Orthographia vulgari* etiam controversiam & quæstionem nobis peperit: Utrum scilicet eodem verba scribere oporteat, quo pronunciantur modo, an potius ex more consueto? At illa *Scriptio* quæ formata videri possit, ( ut scilicet *Scriptio pronuntiationis* consona sit, ) est ex genere inutilium subtilitatum. Nam & ipsa *pronuntiatio* quotidie gliscit, nec constans est: & derivationes verborum, præsertim ex linguis extraneis, prorsus obscurantur: denique cum ex more recepto scripta, morem pronuntiandi nullo modo impediant, sed liberum relinquunt, quorsum attinet ista novatio?

Ad *Ciphras* igitur veniendum. Earum genera haud pauca sunt. *Ciphra simplices*, *Ciphra non significantibus Characteribus intermixta*; *Ciphra duplices Literas uno Characterè complexæ*; *Ciphra rota*, *Ciphra clavæ*, *Ciphra verborum*, alia. Virtutes autem in *Ciphris* requirendæ tres sunt: ut sint expeditæ, non minus operosæ ad scribendum: Ut sint fidæ, & nullo modo pateant ad Deciphrandum: Addo denique, ut si fieri possit, suspicione vacent. Si enim epistolæ in Manus eorum devenient, qui in eos, qui scribunt, aut ad quos scribuntur, potestatem habeant, tametsi *Ciphra* ipsa fidæ sit, & deciphratu impossibilis, tamen subicitur hæc Res Examini & Quæstioni, nisi *Ciphra* sit

sic ejusmodi, quæ aut suspitione vadet, aut examinationem eludat. Quod vero ad elusionem examinis attinet, suppetit inventum ad hoc novum atque utile, quod cum in promptu habeamus, quorsum attinet illud inter desiderata referre, nec potius id ipsum proponere? Hoc hujusmodi est; ut habeat quis duo Alphabeta: unum literarum verarum, alterum non significantium; Et simul duas Epistolas involvat; unam quæ secretum deferat: alteram, qualem verisimile fuerit scribentem missurum fuisse absque periculo tamen. Quod si quis de ciphra severe interrogetur, porrigat ille Alphabetum non significantium, pro veris literis, Alphabetum autem verarum literarum pro Non-significantibus; hoc modo incidet examinatio in Epistolam illam exteriorem, quam cum probabilem inveniet, de interiori Epistola nihil suspicabitur. Ut vero suspicio omnis absit, aliud inventum subiiciemus: quod certe, cum adolefcentuli essemus Parisiis, excogitavimus, nec etiam adhuc visa nobis res digna est, quæ pereat. Habet enim gradum ciphre altissimum; nimirum ut omnia per omnia significari possint: ita tamen, ut scriptio quæ involvitur, quintuplo minor sit, quam ea cui involvatur: Alia nulla omnino requiritur conditio, aut restrictio. Id hoc modo fiet. Primo, universæ literæ Alphabeti in duas tantummodo literas solvantur, per transpositionem earum. Nam transpositio duarum literarum, per locos quinque, differentis triginta duabus, multo magis viginti quatuor, (qui est numerus Alphabeti apud nos) sufficiet. Hujus Alphabeti exemplum tale est.

Exemplum Alphabeti Biliterarii.

A	B	C	D	E
Aaaa.	anaab.	aaaba.	aaabb.	aabaa.
F	G	H	I	K
aabab.	aabba.	aabbb.	abaaa.	abaab.
L	M	N	O	P
ababa.	ababb.	abbaa.	abbab.	abbba.
Q	R	S	T	V
abbbb.	baaaa.	baaab.	baaba.	baabb.
W	X	Y	Z	
babaa.	babab.	babba.	babbb.	

Neque leve quiddam obiter hoc modo perfectum est. Etenim ex hoc ipso patet modus, quo ad omnem loci distantiam, per objecta, quæ vel visui; vel auditui subici possunt, sensa animi proferre, & significare liceat: si modo objecta illa duplicis tantum differentie capacia sint, veluti per campanas, per buccinas, per flammæos, per fonitus tormentorum, & alia quæcunque. Verum ut inceptum persequamur, cum ad scribendum accingeris, Epistolam interiorem in Alphabetum hoc Biliterarium solves. Sit epistola interior,

Esge.

Exemplum Solutionis.

F	V	G	E
Aabab.	baabb.	aabba.	aabaa.

Præsto simul sit aliud Alphabetum biforme, nimirum, quod singulas Alphabeti communis literas, tam capitales, quam minores, duplici forma, prout cuique commodum sit, exhibeat.

Exemplum Alphabeti biformis.

a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
A. A. a. a. B. B. b. b. C. C. c. c. D. D. d. d.  
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
E. E. e. e. F. F. f. f. G. G. g. g. H. H. h. h.  
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
I. I. i. i. K. K. k. k. L. L. l. l. M. M. m. m.  
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
N. N. n. n. O. O. o. o. P. P. p. p. Q. Q. q. q.  
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
R. R. r. r. S. S. s. s. T. T. t. t. V. V. v. v.  
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.  
u. u. w. w. v. v. v. v. X. X. x. x.  
a. b. a. b. a. b. a. b.  
T. T. y. y. Z. Z. z. z.

Tum demum epistolæ interiori, jam factæ biliteratæ, epistolam exteriorem biformem literatim accommodabis, & postea describes. Sit epistola exterior;

Manere te volo, donec venero.

Exemplum Accommodationis.

F	V	G	E
aabab.	baabb.	aabba.	aabaa.

Manere te volo, donec venero.

Apposuimus etiam exemplum aliud largius ejusdem ciphre, scribendi omnia per omnia.

Epistola interior, ad quam delegimus Epistolam Spartanam, missam olim in Scytale.

Perdite res. Mandarius cecidit. Milites esuriunt. Neque hinc nos extricare, neque hic diutius manere possumus.

Epistola exterior, sumpta ex epistola prima Ciceronis, in qua epistola Spartana involvitur.

Ego omni officio, ac potius pietate ergate, ceteris satisfacio omnibus. Mihi ipse nunquam satisfacio. Tanta est enim magnitudo tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesci; ego, quia non idem in tua causa efficio, vitam mihi esse acerbam putem. In causa hac sunt. Ammonius Regis Legatus aperte pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdem creditores, per quos, cum tu aderis, agebatur. Regis causa, si qui sunt qui velint, qui parati sunt, omnes ad Pompejum rem deferri volunt. Senatus Religionis calumniam, non religione, sed malevolentia, & illius Regia Largitionis invidia, comprobatur, &c.

Doctrina autem de ciphris aliam secum traxit doctrinam erga ipsam relativam. Illa est de Deciphratione, sive reseratione Ciphrarum: licet quis Alphabetum Ciphre, aut pactum de latebra penitus ignoret. Res sane est illa, laboriosa simul & ingeniosa, & arcanis Principum, veluti & illa prior, dicata. Attamen præcautione solerti fieri possit inutilis; etsi, quomodo Res nunc se habent, magni profus sit usus. Etenim si ciphre introductæ essent bonæ & fideles, plurimæ fuerint, quæ operam Deciphrotoris profus eluderent, & excluderent; quæ tamen sint satis commodæ, & expeditæ, ad legendum, aut scribendum. Verum imperitia, & inscitia Secretariorum, & Amanuensium, in aulis Principum tanta est, ut maxima plerumque negotia ciphris infirmis, & fatilibus committantur.

Interea fieri potest, ut suspicetur quispiam, nos

nos in enumeratione, & quasi censu artium, id agere, ut scientiarum copia (quas veluti in aciem adducimus) auctæ & multiplicatæ, magis sint admirationi; cum tamen numerus etiam forte ostentari, vires tam brevi Tractatu vix explicari possint. Verum nos institutum nostrum fideliter urgemus, atque, in hoc globo scientiarum conficiendo, etiam insulas minores, aut remotiores, omitti nolumus. Neque vero (ut arbitramur) perfunctorie, licet cursim, eas artes attingimus; sed potius nucleos, & medullas ipsarum, ex multa materiæ massa; stylo acuto excerpimus. Cujus rei judicium ipsis illis, qui in hujusmodi artibus peritissimi sunt, permittimus. Cum enim plerique, qui multis scii videri volunt, hoc fere habeant; ut vocabula & exteriora artium passim jactantes, illarum ignavis admirationi, Magistris ludibrio sint; speramus, nostra contrarium profus eventum habitura, ut peritissimi cujusque in artibus singulis judicium maxime detineant, cæteris minoris sint. Quod vero ad artes illas, quæ minorum quasi gentium videri possunt; si quis existimet, nos nimium quid ipsis tribuere; circumspiciat ille, & videbit, homines in provinciis suis, magnos sane & celebres, cum ad Metropolim aut sedem imperii forte migraverint, turbæ fere immisceri, & inferioris notæ esse: similiter mirum non est, artes istas leviores, juxta artes Principales, & supremas collocatas, dignitate minui; cum tamen iis, qui operam illis præcipue impenderint, res videantur utique magnæ, & præclaræ. Atque de organo sermonis hæc dicta sint.

## CAP. II.

Doctrina de Methodo sermonis constituitur, ut pars traditivæ substantivæ, & principalis: Nomen ei inditur Prudentia traditivæ. Enumerantur Methodi Genera diversa: & subjunguntur eorum commoda, & incommoda.

Veniamus ad doctrinam de methodo sermonis. Ea pars Dialecticæ tractari consuevit. Etiam locum in Rhetorica per nomen *Dispositionis* reperit. Verum collatio ejus in famulatio aliarum artium, in causa fuit, ut plurima quæ ad ipsam spectant, cognitu utilis, prætermissa sint. Visum igitur est nobis, *Doctrinam Substantivam*, & *Principalem de Methodo* constituere, quam nomine generali *Prudentiam Traditivam* appellamus. Itaque *Methodi* Genera (cum varia sint) enumerabimus potius, quam partiemur. Atque de unica *Methodo*, & *Dichotomiis* perpetuis, nil attinet dicere: Fuit enim Nebecula quædam Doctrina, quæ cito transit: Res certe simul & levis, & scientiis damnosissima. Etenim hujusmodi homines, cum *Methodi* suæ Legibus res torqueant; & quæcunque in *Dichotomiis* illas non apte cadunt, aut omittant, aut præter Naturam inflectant; hoc efficiunt, ut quasi Nuclei, & Grana Scientiarum exiliant, ipsi aridas tantum, & desertas Siliquas stringant. Itaque inania compendia patit hoc genus *Methodi*, solida scientiarum destruit.

Constituatur igitur prima differentia *methodi*, ut sit aut *magistralis*, aut *initiativa*. Neque

vero verbum *initiativa* ita intelligimus, quasi hæc initia scientiarum tantum ita traderet, illa doctrinam integram; Verum contra (vocabulum à sacris mutuantes) eam dicimus *methodum initiativam*, quæ ipsa scientiarum mysteria recudat, & denudet. *Magistralis* siquidem docet uti iis, quæ dicuntur; *initiativa* vero potius, ut examen subeant: Altera scientias discendum vulgo; Altera tanquam filiis scientiarum tradit: Denique, altera pro fine habet, scientiarum (quales jam sunt) usum; Altera earundem conuentionem, & ulteriorem progressum. Harum posterior, via videtur *deserta*, & *interclusa*. Ita enim adhuc scientiæ tradi consueverunt; quasi ex pacto, tam docens quam discens, errores adsciscere cupiant. Etenim qui docet, eo docet modo, quo maxime dictis suis fides astruatur, non quo illa commodissime examini subiiciantur: & qui discit, sibi exemplo fieri, non legitimam disquisitionem præstolari expetit; ut magis sit ei cordi, *Non Dubitare*, quam *non Errare*. Ita ut & Magister, amore gloriæ, infirmitatem scientiæ suæ progere caveat, & Discipulus, laboris odium, vires proprias experiri nolit. Scientia vero, quæ aliis tanquam tela pertextenda traditur, *Eadem Methodo* (si fieri possit) *animo alterius est insinuanda, qua primitus inventa est*. Atque hoc ipsum fieri sane potest in scientia per *inductionem* acquisita: Sed in anticipata ista, & præmatura scientia (qua utimur) non facile dicat quis, quo itinere ad eam, quam nactus est, scientiam pervenerit. Attamen sane secundum majus & minus, possit quis scientiam propriam revisere, & vestigia suæ cognitionis, simul & consensus rememeri, atque hoc pacto scientiam sic transplantare in animum alienum, sicut crevit in suo. Artibus enim idem uluvenit quod plantis: si plantâ aliquâ uti in animo habeas, de radice quid fiat nil refert; si vero transferre cupias in aliud solum, tutius est radicibus uti, quam surculis. Sic traditio, (quæ nunc in usu est) exhibet plane tanquam truncos (pulchros illos quidem) scientiarum, sed tamen absque radicibus, fabro lignario certe commodos, at plantatori inutiles. Quod si, *Disciplinæ* ut crescant, tibi cordi sit, de truncis minus sis sollicitus; ad id curam adhibe, ut radices illæ se, etiam cum aliquantulo terræ adherentis, extrahantur. Cujus quidem generis traditionis, *Methodus Mathematicorum*, in eo subiecto, similitudinem quandam habet; generatim autem non video, quid aut in usu sit, aut quid quis inquisitioni ejus dederit operam; proinde eam inter *desiderata* numerabimus, eamque *Traditionem Lampadis*, sive *Methodum ad filios* appellabimus.

Sequitur aliquid *Methodi* discrimen, priorum intentioni affine, re ipsa fere contrarium. Hoc enim habet utraque *Methodus* commune, ut vulgus auditorum à selectis separet, Illud oppositum, quod prior introducit modum Tradendi solito apertiorum; altera, de qua jam dicemus, occultiorum. Sit igitur discrimen tale, ut altera *Methodus* sit, *Exoterica*, altera *Acroamatica*. Etenim quam antiqui adhibuerunt præcipue in edendis libris differentiam, eam